DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XX. IANVARII.

M. MICHAELE DV PONT Doctore Medico Moderatore.

Sunt-ne partus tempora ad Hippocratis calculum exigendà? 1114

PARTVS, qui caducæ mortalisque naturæ æternitatem affectantis nisus ac veluti quædam est precariæ substitutionis meditatio, nulli non viventium (si ab uno homine discesseris) statum condictumque tempus venit. Suus cuique licet positus descriptusque sit terminus, nec prima à carceribus linea, quum ἐξ ἀδὸυ ἐς φῶς erumpit, omnibus una: at certa & una singulis, quam lex una, quia æterna & immutabilis, fixit. Tertio à satu die herbescere Ocymum videmus, Cerealia septimo: quamque natura ampliavit in frugibus præcoquis ortus gratiam, statæ tempestivitatis simul alligavit præscriptâ conditione. Neque ipsa animalium τοῖς φιλανθρωπευομένοις tum ideò visa indulgentior, quum restibili fœcunditate bonæ frugi veneris usum concessit, vagi partus negavit spatia. Hominem scilicet natum ad imperium animal communis hujus legis nexum vinculis videri ne erubesceret, illa seposuit, unique omnium summa cum libertate non unum aperuit limitem nascendi; Insoletne mulier decumo mense parere? Pol nono quoque & septimo atque octauo. At multum interest quî calculum ponas, ne exterricinum ἢ ἠλιθόμενον statuas pro legitimo & vitali.

HABES Principem omnium qui te doceat magistrum Hippocratem, ἀληθῆ illum λόγον, propter cujus authoritatem ausis & debeas de statu hominis jure dictatorio decernere. Ex eo, si sapis, protinus obseruabis & agnosces procul à Poëtarum fabulis Lucinam curto nomine Lunam, Solis ὕπαρχον ἢ φιλεόν; Omnium penè naturalis provinciæ operum sequestram illam experiere, singula quæque parturiginis intervalla regere & moderari, ægræ gestationis dispertire solidâ fide periodos, ac pro regno tandem supremum sæpenumero diffindere vindiciarum diem, partumque dispensando sic comperendinare, ut suis nec otiosa sit usquam, vel ulli inimica deliquiis. Quamobrem ne tibi curæ sit modò ille circuitus qui viginti octo dierum mensem τῆς φάσεως, quò regnat φῶς τὰ κοῖλα, constituit: Sed qui maximè ejusdem cum Sole coitu τῆς συνόδου mensem viginti nouem dierum cum horis duodecim & quadraginta quatuor minutis conflat; quinimò quò ἐπιχεία visitur & integrè remenso itinere complet τελεκάδα, quæ plenum curriculi Lunaris orbem integrat, ut illa designat κυκλόν. Eapropter itidem errant, qui Solari mense non Lunari tempora gestationis metiuntur, vel illo die hunc illo minorem putant.

ITA benè subductâ tecum mensis Lunaris synodici ejusque haud integri ratione, sive integræ gestationis tempora in dies, menses, aut τεσσαρακοντάδας partiri velis & in digitos digerere; Primitias vitalium septimestres fœtus, maximè omnium masculos, pronuntiabis, tùmque primùm plenam adesse jure dixeris nativitatem, & justum nomen partus audies, cui per naturæ injuriam ἐκρύσει vel abortione identidem prævorsum. Emenso anni dimidio prodeunt illi, præterlapsis centum octoginta duobus diebus, quindenis horis, & quartâ supra vicenariam horæ particulâ. Quod in tres hebdomadum decadas redit, quarum unaquæque dierum est septuaginta. Quod si tum inanis labor, pari cum octimestribus fatô τεσσαρακονθήμερος κακοπαθεῖν malè vexat piaculares, redimendâ licet nec in una Naxo, vel Ægypto, uno naturæ robore pœnâ, quæ facit octimestri controversiam ne partus sit, aut dicatur: tam dura conditio nascendi, ubi in ἕκτην τεσσαρακοντάδα naufragus penè fœtus impegit, ac ducentos & duodecim dies cum aliquâ unius particulâ attigit, ut in nonimestrem ducentesimo quadragesimo primo die, veluti quartâ lunâ nasciturum, nec nisi Decadis accessione indemnem futurum, eadem redunder. Legitima nativitas decimi mensis qui in septimam τεσσαρακοντάδα incurrit, diebusque ducentis & septuaginta uno cum aliqua alterius portione conflatur, ingressus est. Partus ex his fortunatior qui ἡλίῳ ξυντρεφόταλος, solidus ille gestationis meta ultima trecentis diebus clauditur, in quos recidit errore potiùs calculi quàm longâ adeò injusti oneris, animæque prohibitæ patientiâ undecimestris, quippe ἐ μνημόνευτον illud quo hic illum superat. Si quem ultra protolli velis? Idem Accio & Titio jus esto.

VERVM ne fraudi cuiquam sit is calculus, non adeò severè illum exigendum necesse ut audias, quasi ad condictum repræsentari haberent munera naturæ, quæ maturare sæpe numerò solet, aut morari Principum interjectarumve causarum vis propitia magis vel infesta; nec ad unum licet determinata, otiari alioqui nescia aut aberrare, seriùs, temporiùs pensum illa suum absolveret. Exinde accipias integris diebus judicari morbos, partus tempora circumscribi nec debere nec posse; quamquam hoc illo eò tibi proclivius conjectari & assequi, cujus ipsa te admonet documentis exposita fidelibus præsentaria valetudo, & ex naturæ sensu abundè erudita τέκμαρσις; cùm prima Conceptus, Gestationis ultima & ipsæ plerumque nesciant, suis etiamnum doctæ periculis, Mulieres; nec Tiresias alter ad Horoscopi fidem, & purgandam Harioli Genethliaci imposturam valeat divinare. Adeò pendent in ancipiti nascitura, & ambiguis nutant temporum obnoxia momentis sacra naturæ. Non te protinùs docebunt concepti hominis rudimenta, horridulæ locorum corporisque universi, oscitantibus à venere mulieribus, commotiunculæ, lumborum, surarumque torpidus rigor, ventris tormina, & verminationes, peregrinantis gulæ fastidia, vomiturientium conatus & labor insolens, corrupta oris forma, exulante oculis Gratiarum choro, non ipsa, quod vix creduas, mammarum sororiantium vel locupletis uteri incrementa, urinæ ὡς ὑπόζυγος stillicidium, alui νάρκωσις: non suppressa germana lacti menstrua; non uteri moles motusve: tam sæpe ζῶον illud ἐν ζώῳ gravidas ludos facit suis intemperiis, fœtusque ἀσκαρίζοντος scitè personatus adornat scenam, & quasi mox parituris obvius παρακαταβάλλει.

QVANDO igitur τὸ ἀκριβὲς tenere naturæ vel Medico non est datum, Eximio artis voto is beatior qui ab illius lineâ quàm minimùm aberrarit. Talis est qui consideratus, maturoque apprimè doctus judicio, magna isthæc Bonæ Matris mysteria sagaciùs peruiderit ac reuelarit: τὰς ὁμοιότητας, quæ peritis quibuscumque offucias parant, accurato examine norit disparare, aliud ab alio artifici usus conjecturâ sejungere & colligere; verbo dicam, ex Hippocratis tabulis agere censum: qui sciat, quid & quantùm intertrimenti in naturæ operibus subducendum, agentis & patientis vicissim in se se commissi modus sustineat, & ad Naturæ motus hominem conantis, nusquam integrè integros, queis προτερεῖν ἢ ὑστερεῖν interdum amat, parem applicet & accommodet mensis lunaris synodici mensuram: ex hujus latitudine diversa æstimet unius partus tempora, quæ nascentis sortem temperant vel impenduntur Tyrocinio: τῶν ὠδίνων simul ineat rationem, quarum beata inclementia crudo partu Eurystheum præcipitavit, Novercalis indulgentia sufflaminavit Herculem. Sic ille Septimestribus, Octimestribus, Nonimestribus, Decimestribus justum figet destinabitque limitem, si de primo gestationis mense cum tribus horis dies viginti, quindecim de ultimo nullâ de reliquis mensibus factâ decessione deduxerit, errore nullô cum natura ejusque fidissimo interprete convenisse partus rationes supputando demùm intelliget. 554

Ergo partus tempora ad Hippocratis calculum exigenda?

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. *Ioannes Armandus Mauuillain.*
M. *Bertinus Dieuxiuoye Profess. Medicinæ.*
M. *Stephanus Bachot.*
M. *Ioannes Baptista Moreau Profess. Regius.*
M. *Eusebius Renaudot.*
M. *Isaac Renaudot.*
M. *Antonius Charpentier.*
M. *Franciscus Pijart.*
M. *Ioannes de Bourges.*

Asserebat Lutetiæ FRANCISCVS SORAND Vnellus Bellesmius, Scholarum Archidiaconus, A. R. S. H. M. DC. LXI.